Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De Vulpibus Simsonaeis Ex Jud. XV.4

Gebhardi, Brandanus Heinrich
Taege, Gottfried

Gryphiswaldiae, 1718

VD18 11425202

Antith.

urn:nbn:de:bsz:31-130372

Visual Library

ces jamdudum periere? At unde hoc constat? Annon ex eo, qvod Scriptura eum sensum in aliis locis indicat? Si radicis defectus dubiam facit vocum Hebræarum significantiam, in qvamplurimis locis Hebræi Codicis nullam habebimus certitudinem.

4. Inter Criticos nondum convenit, qva via ad verum vocum Hebræarum sensum pervenire qveamus. Alii recurrunt ad lingvam Chaldaicam, Syriacam, Arabicam, Hebræa filias. Alii apud Rabbinos, alii apud LXX. Interpretes præsidium qværunt. Hinc est illa significationum in Lexicis multitudo, uti recte censent Autores πολυμαθέσαροι du Journal des Scavans Anno 1703. p. 1030.

Resp. Si ita censent allegati Autores de omnibus promiscue vocibus Hebraicis, minus recte censent. Qvam plurimarum enim sensus in Scriptura planus est, exemplorum confirmatus inductione. Qvod attinet voces ἅπαξ λεγομένας, recurrendum est ad lingvas alias, ad Rabbinos & LXX, qvæ subsidia minime sibi sunt opponenda, ut videntur facere Autores du Journal, sed amice subjungenda. Hæc via est perveniendi ad vocis sensum. Primo consulendus est Scripturæ usus, hinc enim aperit sese radicis significatio; Si is deficit, radicis qvoqve sensus in Hebræo ignoratur; Hinc ad consulenda Rabbinorum scholia, ad conferendum Targum & LXX. viralem versionem deveniendum. Omnes boni Critici hunc ordinem perpetuo observant. Qvod si vero hæc subsidia negligunt, Criticorum nomine non sunt digni.

THES. II.

Vox שועל in Scriptura nihil aliud notat, qvam VULPECULAM. Ergo & Jud. XV. v. 4. vulpes significatum habet.

ANTITH.

Vox שועל citato loco non vulpem notat, sed per-

oportune de ſtraminis qvibusdam manipulis explicari poteſt, ut ſenſus ſit: Und Simſon nahm 300. Strohwiſche. §. 5.

Prob. I.

In Scriptura non ſemper vulpem notat, ſed & animal vulpi ſimillimum, ut Pſ. LXIII. 11. ad qvem locum notat Bochartus, שועל *non vulpes tantum, ſed etiam* Choes, *animal vulpi ſimillimum intelligi, qvo terra S. cum primis abundaverit.* §. 5.

Reſp. Vellem Dn. Autorem hic δεικτικῶς citaſſe Bocharti verba, qva pagina legerentur. Scribit Dn. Bochartus l. III. Hieroz. c. XIII. p. 150. lin. 51. ſeqv. *Vulpem veſci carne cadaverum, docent hæc de Davidis hoſtibus Pſ. LXIII. 11. Portio vulpium erunt.* Ergo hoc loco eodem ſenſu accipit, qvem vox gerit alibi: Qvid autem ſunt *choes? Thoes* deſcribit Autor citatus non *choes* Part. 1. Hieroz. p. 842. Pone animal vulpi ſimillimum in Pſalmo citato denotari, nobis illud non officit. Cepit ergo Simſon 300. animalia vulpi ſimillima, ſi ex hoc Pſalmi loco faciendum judicium eſt de loco præſente.

2. שועל *in loco Pſalmi animal vulpi ſimillimum denotat. Ergo nil qvidqvam contra bonæ interpretationis regulas committit, qvi affirmat loco præſente ſtraminis manipulos denotare.*

Reſp. Imo, qvi ſenſum nullo Scripturæ uſu probatum voci שועל infert, graviſſime peccat contra bonæ interpretationis regulas. Eſt enim boni interpretis, ſenſum vocum in Scriptura legitime qværere, non alienum Scripturæ inferre. Pone שועל loco Pſalmi Choes (ita ſcribit Dn. Autor) intelligi, qvæ ſeqvela eſt; Ergo in C. XV. 4. Jud. de manipulis ſtraminis intelligendum?

Olim pro שועלים *lectum videtur fuiſſe* שְׁעָלִים *qvod manipulos notat. Ex qvo librariorum incuria pro Scheva poſitum primo Kybbutz, deinde Schureck. Cujusmodi* φάλαγγα *ipſe*

ipse Lutherus in sacro Codice agnovit: confer glossam ejus marginalem ad Act. XIII. 20. §. 6.

Resp. 1. Corruptelas Hebræo Textui adscribere Capellistarum, Simonianorum, & aliorum Bibliomastigum est, non bonorum & fidelium interpretum. Qvo enim non erumpet audacia novaturientium Interpretum, si σφάλμαϛα in Scriptura dari supponimus? Nihil manebit intactum a detortorum libidine. 2. B. Lutherus σφάλμα dari loco citato agnoscit, at in nonnullis tantum exemplaribus, non in omnibus. Etliche Texte haben vierhundert/ aber die Historien und Rechnung leidens nicht. Ist des Schreibers Irrthum der 4. vor 3. geschrieben/ welches leicht ist geschehen im Griechschen. Dn. Autor correcturus verba Lutheri addit: *Imo plerique omnes habent* ἔτη ϛετρακόσια. Sed eo ipso non corrigit, sed confirmat Lutheri assertum de particularitate Codicum Græcorum. *Omnes* dicere non sustinuit. Si ergo *plerique omnes*, dantur Codices incorrupti, ex qvibus σφάλμα emendandum. Non ergo statuit B. Lutherus universalem Codicum corruptionem. Cæterum difficultatem hujus loci ita expedit Lichtfotus. Judicum annos ponit 339. His annumerat annos Tyrannorum, qvi Israelem opprimebant 111. Inde 450. Si ergo Dn. Autor cum Luthero particularitatem Codicum corruptorum statuit, ex qvonam codice integro nobis restituit vocem שְׁעָלִים pro qva שועלים jam legi perperam affirmat?

Violentius argumentum est, qvod a Codicum corruptione sumitur. Maneat forma שועל, *sed in sensu* manipuli. *Hoc sensu enim multo propius accedit ad radicem, qvam si* vulpem *notat. Radix est* שעל: *Inde proximum derivatum est* שעל manipulus, *ut habent omnes Lexicographi. Ergo ea significatio radici erit conformis qvammaxime, qva cum primo derivativo qvam amicissime conspirat. Non ergo mutamus veram significationem* ϛ שועל *sed amissam restituimus.* §. 6.

Resp. Vellem hic clarius loqveretur Dn. Autor. Qvæstio est, an

שועל

שועל non tantum significet *vulpem*, sed & *manipulum* Ait Dn. Autor, magis propriam ipsi esse significationem *manipuli*, qvam *vulpis*. Probat: qvo sensu propius accedit ad radicem, is ipsi magis est proprius. Atqvi in sensu manipuli. Ergo. Minor probatur, qvia proximum radicis שעל derivatum est שעל *manipulus*. Qvod si hæc est Dn. Autoris mens, qvis unqvam vidit argumentationem iniqvius comparatam? Primo falsissimum est, qvod שעל in plurali שעלים notat *manipulos*. Omnes Lexicographi reclamant, ad qvos provoco. Et si omnes hoc assererent, non dubitarem ipsis in os contradicere, qvia ea significatio nec ex Scriptura probari potest, nec ad circumstantias hujus loci qvadrat. Qvid autem sunt Lexica si non sunt rivus Hebræi Codicis? Impostura sunt meræ. Tria tantum sunt loca in qvibus שעל occurrit, qvam male ad illa qvadret sensus manipuli, primo patet intuitu. Es. XL. 12. *Qvis mensurat* בשעלו עפר *pugillo suo pulverem*. Hic certe manipuli sensus non habet locum. 1. Reg. XX. 10. *Non sufficit pulvis Samariæ* לשעלים *pugillis exercitus mei*. Pugillis, non manipulis capitur pulvis. Ezech. XIII, 19. *Profanatis me apud populum meum* בשעלי *pro pugillis hordei ἕνεκεν δραχὸς κριθῶν*. Ita שעל in singulari suffixo, plurali & absoluto & constructo occurrit in sensu *pugilli*. Nulla est alia vocis significatio in Codice Biblico. Unde ergo peregrinum illum & in nulla Scripturæ parte auditum *manipuli* sensum accepit Dn. Autor? Si in Scriptura non est, præter Scripturam excogitatus est: Qvo consilio? ut detorqveretur verus Scripturæ sensus. Pessimo vero conatu. Qvam lubricum ergo fundamentum est, qvod Dn. Autor suo asserto substernit: שעל *manipulum* notat: Ergo radix שעל notat, *manipulare*, imo & שועל *manipulum* designat, qvia eo sensu qvamproxime accedit ad significatum radicis!

5. Nil obstat, qvod vox שועל *in sensu manipuli alibi non occurrat; sufficit, si hoc loco eo sensu legitur: Est inter voces ἅπαξ λεγομένας. §. 7.*

Resp. Nondum probasti sensum *manipuli* voci inesse, neqve unqvam probabis. Nam in Scriptura Nihil invenis pro sensu hoc præ-

præsidii. Si autem extra Scripturam, præter suffragia omnium Philologorum sensum manipuli ipsi ponis, fingis aliqvid, nihil probas.

2. Qvid sunt voces ἅπαξ λεγόμενοι? Qvæ semel tantum reperiuntur in toto Codice. Qvo ore dici potest, in earum numerum referri debere vocem שועל, qvæ septies legitur?

6. Multa vocabula Hebræa sunt πολύσημα: Ergo & שועל facile admittit significatum manipuli. §. 8.

R. Qvædam vocabula Hebræa sunt πολύσημα. שועל est vocabulum Hebræum: Ergo est πολύσημον; Ergo שועל notat manipulum. O fallaciam nimis evidentem! Qvid juvat tot sophismata congerere? Probetur unico tantum Scripturæ testimonio vocem שועל *manipulum* notare, res erit confecta.

7. Probo autoritate Critici alicujus præstantissimi in Academia - - qvi mihi de hoc loco cum eo differenti ultro largitus est, vocem שועל vi suæ originis nihil aliud significare, qvam avenæ manipulum, ein Bund Haberstroh. § 8.

R. Autoritate humana hic non pugnandum, sed divina. Præstantissimus ille Criticus omnem suam fidem perdit & præstantiam, si sibi credi postulat præter & contra Scripturæ usum aliqvid de significatu Hebræarum vocum statuenti. Si hic Criticus vi radicis compulsus fuit largiri Cl. Dn. Autori, vocem notare ein Bund Haberstroh, qvare non adducitur radix in eo sensu? Species ad minimum aliqva inventa fuisset novitati, si vel ex Codice Hebræo, vel saltem ex Alcorano, aut Lexico Arabico probatum fuisset, שעל notare *manipulos colligavit*, aut aliud qvid, qvod vel de *manipuli* vel de *avenæ* natura participaret. Qvanqvam etiamsi daretur radix שעל in tali sensu, tamen inde concludi minime posset, שועל notare hic *manipulum avenæ*, nisi illum sensum & usus & textus circumstantiæ confirmarent. Qvam longe enim sæpius derivata discedant a sensu suæ originis nobis noto, innumera probant exempla. Sic אלם notat *manipulos colligavit*. Manifesta est & significatio ea Gen. XXXVII. 7. Hinc אלמה *manipulus*. Hoc derivatum accedit proxime ad radicem. Discedunt longis-

 sime

sime אלם *mutus*, אלמנה *vidua*, אלם *porticus*, אילם *vestibulum* אלמוני *qvivis* אולם *profecto*. *Finge* שעל notare idem qvod אלם *manipulavit*. An inde inferri potest שועל notare *manipulum*? Imo exemplo derivati אולם *profecto* manifestum est, שועל suo sensu qvam longissime a radicis dato significatu discedere posse.

8. Res omnis erit expedita, si concesseris puncta consonis non esse σύγχρονα. Ita enim antiqvitus scriptum שועלים *æqve facile per* schoalim *ac* schualim *legi potuit. Vel primo* שעלים *scriptum fuit simpliciter, deinceps* ו *eo tempore qvo* אמות הקריאת *a Judæis repertæ sunt, insertum.* §. 9.

Resp. His & sexcentis ejusmodi argumentis nihil qvidqvam effecerit Autor Cl. qvamdiu non probaverit vocem שועל vel שעל notare *manipulum straminis*. Sunt meræ petitiones principii. Ut clarius pateat qvam stramineum hoc sit argumentum, colligemus terminos Cl. Antoris: Qvæ vox schoalim legi potuit, aut cui cum legeretur schualim inseri ו potuit, ea notat hic *manipulos straminis*. Atqvi vox *schualim* legi potuit *schoalim*. Ergo denotat manipulos. Major primo supponit punctorum novitatem, qvæ nondum probata est. Deinde posita vocalium novitate infert, legi potuisse *schoalim* pro *schualim*. Tertio supponit שעלים notare *manipulos*, in qvod nulla hactenus verisimilitudine probatum dedit. 4. Infert: Si potuit legi *schoalim*. Ergo etiam lectum fuit, ac proinde sensus *vulpis* hinc excludendus. Æqve male cohæret argumentum ab הקריאה אמות sumtum. Potuit inseri ו Ergo insertum fuit. Qvis non videt imbecillitatem collectionis? Sed ut evidentius adhuc constet, qvod vocis שועלים verus & genuinus sensus sit *vulpes*, circumstantiæ textus porro expendendæ sunt.

THES. III.

Schualim dicuntur captæ a Simsone arte venatoria. Hoc prædicatum non cadit in manipulos